

Lunae die 25^o m. Iunii
a.d. VII Kalendas Iulias



Complutense emendatum
anno 1984^o
MCMLXXXIV N^{us} 2 17.7.0484

MELISSA

Moderatrix

Editoris obnoxia

vel Edibrix

FOLIA LATINA SECUNDO QUOQUE MENSE EDITA

Diana LICOPPE, avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan
1040 BRUXELLIS Tel 734 55 42.

FERIAE LATINAE IN HISPANIA


Prima vice in Hispania, mense Iulio anni 1983i, Feriae Latinae celebratae sunt Palmae Maioricarum, quae est urbs caput Insularum Balearum. Plus quam centum participes undique convenerunt, moderante Domina Barbara PASTOR ARTIGUES, iuvene assistente cathedrae litterarum Latinarum Matrity in studiorum universitate Complutensi. Quae, anno 1982^o, participaverat in Carinthia ferias Latinas, quas eodem anno instituerat Pater Suitbertus SIEDL O.C.D., professor in studiorum universitate Iuvavensi (Salzburg). Inde factum est ut Barbara PASTOR P. Suitbertum SIEDL invitaret ad Feras Latinas in Hispania celebrandas. Ferae Maioricenses iucundae fuerunt, cum locus amoenus esset exercitationesque Latinae bonae et saepe hilares.

Postea, Barbara PASTOR Feras Matrity instituere voluit, ubi ad loquendum invitarentur studiorum classicorum professores. Ei favebat Dominus Antonius FONTAN praeses Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum. Barbara PASTOR etiam adiit urbis Matrity praefectum, Dominum Henricum TIERNO GALVAN, qui illam comiter accepit atque ei nonnullas opes ad rem efficiendam praebuit. Sic evenit ut Ferae Latinae Matritenses celebrarentur a die 9^o in diem 13um m. Aprilis anni 1984i in studiorum universitate Complutensi.

Liceat notare illius universitatis nomen esse Latinum. Oppidum enim Complutum, temporibus Imperii Romani florebat. A Mauris VIII^o saeculo captum, tandem post septem saecula ab archiepiscopo Toledano recuperatum est, sed tunc vocabatur "Alcala de Henares", quod nomen adhuc viget. Ibi, anno 1498^o, archiepi-

sopus cardinalis Cisneros studiorum universitatem condidit, cuius fama optima facta est propter eximiam linguarum institutionem. Ibi, anno 1517^o, prima totius Europae editio multilinguis Sacrarum Litterarum confecta est. Quae universitas, anno 1836^o Matrity translata, nomen antiquum "Complutense" servavit.

Lunae die, cum nobis nuntiatum est inaugurationem solemnem hora decima haberi, tempore adsumus in universitatis "Graduum exedra", quae denominatur. Tantum tamen adsunt Barbara PASTOR et nonnulli extranei participes, cum advenit Dominus TIERNO GALVAN, urbis Matrity praefectus. Praesentes comiter salutatur, Barbaram patriae amplectitur, denique interrogatur cur vix quisquam adsit, ne praeses quidem. Videtur fuisse



Dr. P. Caelestis EICHENSEER ad disputationem aggreditur
Prof. Augustinum GARCIA CALVO

quidam error in nuntio inaugurationis horae. Placide praefectus paucos, qui adsunt, ad universitatis thermopolium secum ducit. Ibi poculum cafeae nobiscum sorbillat atque familiariter per semihoram sermocinatur. Valde miramur illum satis bene Latine intelligere. Cum tandem advenit Dominus Antonius FONTAN, Studiorum Classicorum Societatis Hispanicae praeses, ad exedram redimus, ubi nunc in gradibus sedent ceteri participes.

Feriarum Latinarum inaugurationem solemnem pronuntiat Domina Barbara PASTOR ARTIGUES. Deinde Professor Antonius FONTAN verba introductoria, eaque Latina, facit. Postea, verbis etiam Latinis, praefectus urbis participes consalutat, extraneis hospitibus suavissimam mansionem in sua urbe exoptat, cunctisque conventum fructuosum. Inauguratione peracta, praefectus ad curiam redit atque coetus laboris incipit.

Primus ad dicendum invitatur Doctor P. Caelestis EICHENSEER. Iam diu multa variaque dilucide narravit, cum moderatrix, quae videtur timere ne usque ad prandium verba faciat, eum interpellit ad interrogandum num multae paginae supersint legendae. Post quatuordecim paginas ad finem pervenit.

Secundam orationem habet cathedraticus Sebastianus MARINER BIGORRA. Optimum pronuntiatum restitutum adhibet. Inter alia dolet quod liturgia Latina neglecta est, quae multorum hominum aures locutione Latina assuefaciebat.

In fine antemeridiana sessionis, Barbara PASTOR cum praesentibus discipulis demonstrat quomodo institutio Latina vividior reddi possit.

Postea, participes separatim in urbem redeunt pransuri. Hora quarta, incipit sessio postmeridiana.

Primam orationem habet Antonius BLANCO FREIJEIRO, professor disciplinarum mathematicarum in universitate Complutensi. Notandum est illum virum "scientificum" sua sponte a Barbara PASTOR petivisse ut sibi liceret verba facere. Tractat "De usu linguae Latinae in rebus scientificis exprimendis". Res scientificae in Europa, ait, iam diu verbis Latinis sive Graecis exprimi solent. Quae consuetudo in dies plus relinquatur, propter ea quod rariores fiunt docti, qui litteris Latinis et Graecis eruditi sint. Graviter monet Americanos res novas suis verbis vernaculis denominare, quibus Europaei inviti uti coguntur, cum debiles facti sint multitudine suorum patriorum sermonum.

Postea, Inga PESSARRA, magistra Germanica, quam Barbara PASTOR feriis Maioricis noverat, nonnulla seria vel iocosa narrat "De pistoribus" atque de pane atro, quem autumat plurimum prodesse bonae hominum valetudini.

Ultima oratione a professore Vicentio CRISTOBAL habita, omnes in alias universitatis aedes transeunt ad opus cinematographicum e comoedia Plautina "Rudente" confectum spectandum. Sedent in gradibus hemicyclii praediti instrumento, quo videocasetae imagines in album satis magnum proici possunt. Valde tamen dolemus quod, illius instrumenti defectus causa, actorum voces fere inintellegibiles redduntur.

Sessione postmeridiana sic peracta, in urbem redimus. Vespere feriarum participes invitantur a Domino Henrico TIERNO GALVAN, urbis praefecto, cuius sedes

(Ayuntamiento) collocata est in vetere domo, "Casa de Cisneros" appellata. Cum hora nona et dimidia advenimus, mirabundi videmus milites, distincto militari ornatu indutos, qui a ianua usque ad primum tabulatum in scalarum gradibus stant immobiles atque nos strictis ensibus salutant. In magna sumptuosaque exedra, praefectus eiusque uxor suos hospites affabiliter accipiunt. Parietes ornatissimi sunt magnis Bruxelensibus operibus polymitis. In medio ad cenam solemnem disponitur longa mensa, laute strata atque magnis candelabris argento caelatis exstructa. Iam adhuc linguae Latinae superest maiestas, ut eius oratores magnifice accipiantur!

Post propoma sermocinando sumptum, ad mensam assidemus, ubi exquisiti cibi, Apiciano modo conditi, nobis praebentur. Non minus autem sapiunt verba Latina, quae ad ferias Latinas celebrandas faciunt et praefectus, qui partis socialisticae est, et praeses Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum, qui dextrae parti favet. Dr. P.C. EICHENSEER pro participibus tum graviter, tum iocose respondet.

Post discessum a praefecto, sunt nonnulli qui in saltationibus "Flamenco" vulgo vocatis spectandis noctem absumunt.

Longum ~~est~~ cuncta feriarum acta narrare. Primum diem, eumque praecipuum, exemplum elegimus. Quid pertinet ad ceteros dies, tantum mentionem faciemus trium oratorum.

Pater Felix SANCHEZ VALLEJO S.J., qui, natione Hispanus, in Urbe Vaticana Romae sedet, locutus est de problemate linguarum in Europa, de utilitate linguae "Euro-latinae", ut ipse dicit, et de methodis quibus hodie uti possumus ad linguam Latinam facile lateque docendam.

Dominus Augustinus GARCIA CALVO, professor in universitate Complutensi, cuius labrum superius genaeque continuis hirsutisque pilis mirabiliter ornatae sunt, in oratione sua dixerat linguam Latinam esse mortuam. De qua re, oratione peracta, eum statim ad disputationem aggressus est Dr. P.C. EICHENSEER. Alter contendebat linguam Latinam ad usum hodiernum cottidianumque non plus valere quam linguam veterum Sumerianorum. Alter arguebat linguam Sumerianorum vere mortuam esse, quod iam ante permulta saecula neque loquitur neque scribitur; contra, ne unum quidem diem adhuc transisse, quin aliquid Latinum conscriberetur, quin alicubi terrarum verba Latina proferrentur. Participes a Domino Augustino GARCIA CALVO omnino dissenserunt, cum, interrogatus num lingua Latina aliquid Europae confoederandae prodesse posset, Europae divisionem sibi nullam esse curae respondisset.

Optimam orationem habuit Dominus Lisardus RUBIO, doctor litterarum classicarum. In initio dixit se numquam antea publicam orationem Latinam habuisse. Optime tamen, dilucide et intellegibiliter locutus est de singularibus rebus grammaticae Latinae, quam Hispanice conscripsit (Introduccion a la sintaxis estructural del Latin).

Feris Matritensibus feliciter peractis, grates agenda sunt Dominae Barbarae PASTOR ARTIGUES, quod effecit ut philologi Hispani, plerique universitatis professores, non tantum in publico Latine loquerentur

nd

lee

Li
lee

Hest

H m
usu est

nd

Li

||

sed etiam demonstrarent se ex tempore Latine in utramque partem disputare scire. Gratias ei agunt etiam extranei participes, quod eius opera ex usu percipere potuerunt commercium Latinum cum Hispanis sine difficultate fieri. Id quod non tantum verum est de philologis. Convenimus enim, extra feriarum Latinarum circulum, medicum Matritensem, nomine Eustasium SÁNCHEZ FERNÁNDEZ-VILLARÁN, quocum iam ante nonnullos annos commercium epistulare Latinum incepimus. Qui

medicus etiam Latine conscripsit librum "De obscurioribus theoriae transformismi seu evolutionis". Cum illo atque P. Caeleste EICHENSEER in caupona vere Hispanica cenavimus. Per quem iucundum vesperum, inter nos, quorum sermones patrii sunt Hispanus, Theodiscus et Francogallus, optimum communicationis instrumentum fuit lingua Latina...

Diana Gaiusque LICOPPE

"DE LINGVAE LATINAE DOCENDAE RATIONE"

a Johanne Alberto MORENO TORTUERO

Ante Férias Latinas Matritenses, Barbara Pastor Artigues, in Studiorum Universitate Complutensi assistens, certamen proposuerat alumnis Matritensium universitatum. Aliquid "De linguae Latinae docendae ratione" Latine debebant conscribere. Nonnulli iudices, a Barbara mandati, scriptum elegerunt praemiandum. Quod scriptum praemiatum, Matríti, in Universitate Complutensi, coram feriarum Latinarum participibus legit iuvenis auctor, Iohannes Albertus MORENO TORTUERO. Cuius in humero statim consedit Melissa eumque rogavit num sibi liceret eius textum divulgare. Ea enim, quae monet Iohannes Albertus Moreno Tortuero, nobis visa sunt satis magni momenti. Ipsi legite :

"Si qua re lingua Latina eget, ea est ut magistri suam rationem docendi mutent. Certe ego non ad novam viam monstrandam, sed ad istam praesentem non bonam aestimandam, quod alumnus, aptus sum.

Credo huius status causam fuisse linguam Latinam aliam ac ceteras linguas novas existimari, eo tantum quod non ea ad loquendum utimur ; ex hoc duae consequentiae gignuntur : quid et quo modo studendum sit. In qualibet nova lingua aspectibus scribendi et loquendi studetur ; nam ambo quodam munere funguntur. Loquendi partem discendo, simul audire loquique discitur ; scribendi autem, legere scribereque ; ita quattuor gravesque disciplinae partes sunt.

Sed in linguae Latinae docendae praesenti ratione, tres eorum desunt : audire, loqui, scribere. [...]

Mihi linguae Latinae disciplinae error videtur esse non alumno facultates dare ad notas regulas exercendas nisi hanc unam, vertere -ne legere quidem- hoc est illud "quo modo studendum sit" quod supra dixi.

Necesse est aliam ad legendum atque ad vertendum mentis formam adipisci ; linguae Latinae alumnus non aptus est ad legendum, sed contra dictionarii ope munus expedire conatur ; incipit discernens verborum structuras -quis sit auctor, quid complementum- ; postea miscens verborum sensus repertos excogitat adducitque in discrimen quid scriptum dicat.

Contra, in novis linguis, hic processus sua sponte gignitur ; namque nemo structuras examinat : simpliciter legitur.

Et si quis difficiliorem linguam Latinam esse dicet, ego vero non eam ita difficilem credo ut ea quisquam per quinque annos, quorum duo in universitate, tractata uti non possit.

Atque hoc ita est propter malam dispositionem mentis, quae de erratis viis difficiliter deducitur.

Sed etiam mira est natura scriptorum quae legi debent ; ad linguam Latinam docendam novi libri desunt. Cuiuscumque linguae novae studens ad usum suum parata scripta habet ; at linguae Latinae tiro "vera" tractat, quod fortasse eum terret. Quin etiam ad eam docendam praesertim scripta parantur? Certe melius accipientur a tironibus faciliores sententiae sicut :

"Haec mensa est ; hic stilius ; hic Antonius est ; Quis est ille?" aut talia.

Alterum exemplum eius diversitatis quae inter novas et Latinam linguas docendas inest probationes sunt. In novae linguae quacumque probatione raro alumno vertere, nisi ex sua propria lingua in alienam, proponitur.

Istae probationes in grammaticae exercitiis, in spatiis replendis, in compositionibus aut in quaestionibus de lectis vel auditis consistunt, quibus alumnus respondere debet in aliena lingua.

Contra, linguae Latinae probationes solum in vertendo ex ea in propriam consistunt et alumnus nullas facultates habet ad scita vocabula exercenda, cuius causa ea dediscit. [...]

Igitur, quamquam alumnus suo officio fungi debet, iuvandus est meliore ratione docendi, quae magistro paranda est. Disciplinae linguarum novarum profecerunt, at Latinae immutabilis permanet. Id factum ac praesens illius contemptus faciunt ut lassitudinem tediumque et alumno et magistro afferat.

Ergo donec hic status continuetur, nemo contentus erit.

Fortunate, sunt qui in hanc renovationem laborant ! [...]"

Quibus sanis auditis verbis, Melissa evolavit ad Iohannem Albertum, qui iam modeste discedebat, eumque ad seminarium Belgicum participandum statim invitavit ubi auribus oculisque suis perciperet linguam Latinam eodem modo ac linguas vernaculas iam a Doctore P.C. Eichenseer doceri.

INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES: ANTONINUS IMME

Infeliciter accidit ^{quod} in primo "MELISSAE" numero mortem inopinatam amici nostri Andreae ROBBE nuntiare debuisse. Quare forte fuit primus ex illis, quorum studium singulare in Latinitatem Vivam commemorare in animo habemus.

Post ferias Latinas Matritenses, Melissa in itinere paulisper apud Genovefam Antoninumque IMME commorata est atque illos de rebus gestis, praecipue Latinis, pro vobis interrogavit.

Hodie quaestionibus respondet Antoninus IMME :

UBI ET QUANDO NATUS ES ?

Prope Syracusas, in viculo Melilli natus sum Kalendis Ianuariis anni 1901, id est 1/1/01.

QUA IN SCHOLA DISCIPULUS FUISTI ?

Fui discipulus in scholis primariis in viculo ipso Melilli ; quoniam illis temporibus in agresti viculo non erant scholae superiores, adductus sum Syracusas, ubi didici primas tres scholas quae dicebantur gymnasii et in litteris Italicis et Latinis et in historia quoque et in geographia optime me gessi ; ideoque optimis notis consecutus sum "parvam licentiam gymnasialem". Quoniam illis temporibus Syracusis ipsis non erant ephebeae, pater meus voluit me Romam mittere ad consequendam licentiam gymnasialem et, si posset fieri, ad classium lycealium doctrinam incipiendam. Cum iter illis temporibus, etiam tramine, esset diuturnum et onerosum, quia occupabantur fere XXIV horae traminis, pater meus me collocavit in loculamento secundae classis, quod pergebat usque Romam, atque applicuit in ueste mea hanc inscriptionem : "Usque Romam, ubi aliquis eum accipiet et adducet ad Salesianorum Collegium, in via Marsala, prope stationem". Ideoque ubi Romae fui, uidi quemdam barbaturum uirum, qui me expectabat et nomine meo me uocavit : "Tu es Imme?" -"Ego sum" -"Veni igitur mecum!", et accepit partem sacculi mei et me ad collegium Salesianorum adduxit. Ubi moderator huius collegii me uidit, me rogavit ut exhiberem documentum probatorium et titulos scholasticos meos. Et quoniam eram extra provinciam, opus fuit rogare patrem ut hoc meum documentum mitteret cum sanctione Syracusanorum praefecti. Deui tamen sustinere probationem, quae fuit magna calamitas : Salesiani nolebant credere suis oculis me esse tam incultum! Me tamen immiserunt inter condiscipulos meos, qui incumbabant eisdem studiis meis, et fui postremus condiscipulorum eorum. Salesiani tamen me edocuerunt et bene studui litteris praesertim Latinis. Cum illis temporibus gereretur bellum inter gentes 1914-18 et exercitus noster deletus esset in urbe Caporetto, et omnes Veneti mitterentur ad salutem petendam in regiones Inferioris Italiae et in Siciliam, ego quoque debui redire Syracusas, ubi propter magnificam Salesianorum scholam consecutus sum licentiam lycealem "Bac" optimis uotis.

QUA IN UNIVERSITATE ALUMNUS ?

Fui alumnus in Universitate Catinensi, quae illis temporibus dicebatur "Siculorum Gymnasium", quia hanc universitatem condidit Fridericus II, et ita incepti amare Latinum sermonem vivum et Latine quoque loqui cum magistris meis universitariis et cum aequalibus meis.

QUID POSTEA EGISTI ?

Postea, cum vellem adire militiam, missus sum in legionem "Guardie Rege", id est "Vigiles Regis", quae legio habebat locum in regia urbis Casertae, quae aedificata est ex more Versaliensi et ubi incepti vitam militarem vivere cum omnibus eius delectationibus molestiisque.

QUOMODO FACTUM EST UT RES STENOGRAPHICAS CURARES ?

Ubi promotus sum verus vigil, missus sum Romam ; et postquam Mussolini potitus est rerum, ego, ne manerem sine munere, didici artem Iironianam (quae hodie vocatur stenographia) et factus sum artis notarum magister. Ideoque volui condere commentarium, cui titulus fuit "Il Primato Stenografico Italiano".

ALTERUMNE PERIODICUM CONDIDISTI, CUI TITULUS "ENSE ET ARATRO" ?

Ad divulgandam scholam stenographicam, volui condere alterum commentarium, cui titulus fuit "Ense et Aratro" (ENSE = Ente Nazionale Scolastico Educativo). Singuli libelli huius commentarii nominabantur e nominibus stellarum, id est : Sirio, Vega, Albatros, et cetera ; et in his nonnulli scriptores et lectores erant qui scribebant de rebus doctrinalibus.

QUID LATINE EGISTI TEMPORE DUCIS MUSSOLINI ?

Ubi postea docere incepti sermonem Latinum discipulos meos Syracusis in gymnasio, quod resonabat etiam versibus Theocriteis, adsidue Latine locutus sum. Nam illo tempore regimem Mussolinianum multum favebat huic sermoni. Et incepti loqui et scribere cum collegis meis, cum amicis et cum discipulis. Inter nos collegas faciebamus quoque certamina ut ex improvviso Latine verteremus optima certamina Italica : qui ludus a nobis dictus est "Veteres Musarum ludi felicitis temporis irremediabilis nostrae iuventutis".

CUR ET QUANDO CONDITUM EST "AVENTINUM" ?

Ubi postea translatus sum Romam et docere ibi perrexi, volui condere commentarium omnino Latine scriptum, cui nomen fuit "Aventinum", quod in Aventino colle pater Ennius et Andronicus et Naevius habebant sedes suas. Hic commentarius conditus est anno 1971.

QUOMODO FACTUM EST UT CUM HECTORE PARATORE ET DOMINO DEL TON COMMERCII HABUISSE? H HABERES

Ad instituendum commentarium Latinum, collegi nonnullos praeclaros Latini sermonis magistros cultoresque, inter quos splendebant clarissima luce Hector Paratore et dominus Del Ton et Pater Mir, et alii erant minoris famae.

2.10

QUOMODO GENOVEFAM METAIS NOVISTI ?

Ego Genovefae miseram exemplaria "Aventini", et mihi responderat, et miserat quoque scripta in eo edenda. Ideoque ubi anno 1975 ea Romam venit, me visit ut Latine colloqueremur.

QUANDO CONDITUS EST "CIRCULUS LATINUS IN URBE" ? QUI CIRCULUM FREQUENTABANT ?

1.10

Ad pervulgandum Latinum sermonem, condidi (circul^o eodem tempore atque "Aventinum") "Circulum Latinum in Urbe", ut socii et sodales possent inter se cognoscere et Latine loqui et Latine scribere. Singulis hebdomadibus erant conventus in quadam caupona. Illi conventus patebant omnibus, ad discumbendum et ad Latine loquendum.

H. Coq^olae

QUID EST "OPUS FUNDATUM DRAGAN" ?

QUAE SUNT EIUS PROPOSITA ?

CUR CONDITOR DRAGAN RES LATINAS CURAT ?

Fere eodem tempore, rogatus sum ut adessem in quodam

circulo, quem nondum noveram, qui dicitur "Fondazione Europea Dragan" ; quod opus fundatum conditum est a Constantino Dragan, ubi debuit linquere patriam suam Dacoromaniam, postquam sinistrosi potiti sunt rerum. In illo circulo agebatur de rebus praesertim litterariis. Ideoque adfui et rogatus quoque sum ut aliquid dicerem : optime verba mea exierunt ex ore meo, et feci apologiam Latinitatis ; atque fuit mea improvisa miratio, ubi, post verba mea, audivi aliquem mihi ignotum qui dixit se esse legatum a ministerio publicae institutionis, ut ministerium sciret quid ageretur in illo circulo. Circulum laudavit, et me quoque laudavit. Et pollicitus est se optime relaturum ad ministerium de nostris inceptis. Attamen ille mihi dedit conventum in ministerio et, ubi adii, mihi dixerunt eum profectum esse nescio quo ! Ideoque Opus fundatum Dragan me rogavit ut instituerem aliquid Latinitatis. Et ego hanc inscriptionem inveni : "Latine loquere ut civis Europaeus habere!" Et incepta sunt fieri scholae, quas adibant omnes cultores Latini sermonis, quae scholae etiam nunc fiunt a Francisco Iohanne Barbalace curatae.

QUAE SUNT RES LATINAE MAIORIS MOMENTI, QUARUM MEMORIAM SERVAS ?

Oratio Latina, quam habui Romae, praesente Tindemans, quae oratio refertur in fasciculo "Aventini" coniuncto, in prima pagina ad dextram, cum titulo "Civitatis rumores".

ANN. IV - N. 3-4-5 - Mens. Mart.-Apr.-Mai. - MCMLXXV

AVENTINUM

SOCIETATIS CULTORUM LATINITATIS INTER OMNES GENTES, breviter - UNITAS - LATINITATI RECOLENDAE COMMENTARIUS PERIODICUS - Via O. da Gubbio, 51 - 00146 Roma - Tel. 551464

Direttore: ANTONINO INME' - Di. Res.: Prof. ANTONIO SARACINO - Cond.: VALDEMARO BORGHESI - Segr. di Red. ALESSANDRO COLUCCILI
Roma - AVENTINUM in officio speculo nella edicola e libreria a L. 250

Associato all'USPI
Un. no. Stamps Per. N.

* CIRCULUS LATINUS IN URBE * - ab epistulis: Antonino Inme' - in Concederentibus: N. Profestantibus: orib. lev. camp. - C.I.P.A. - Via S. M. de Tolentino, 21 - Tel. 06.14.00 - ROMA

Digna est lingua nostra Latina, quae tanta praeclara in se continet, ut vim denuo et auctoritatem tandem recuperet, ad omnium bonorum animos colligendos in unam quasi ingentem patriam incorpoream super patrias. (EX COMMENT. LATINITAS, FASC. III 1958, PAG. 232)

*Bovillomachia
arenaria
aquitana*



G. Metelo

De opinionibus colligendis CIVITATIS RUMORES ad Europensium unitatem recolendam loculus quidam in eoi de his discoptantibus redditus (ex comm. VITA LATINA, Parisiis ad Sorbonam) Summi Rei Publicae Belgarum consilii praeses Leo Tindemans, summi moderatorum Europae copulatae regendae consilii

RESPONSA AENIGMATIBUS QUADRATIS,
QUAE DOMINICUS MORIS IN N° I° PROPOSUIT:

T	H	E	S	A	U	R	U	S
E	I	T	U	U	P			
R	E	M	I	T	T	E	R	E
E	M	O	L	O	R	C		
I	N	A	T	U	R	A	E	U
T	R	U	S	A	T	X	L	
I	U	S	E	F	U			
U	N	O	D	A	R	U	M	
S	T	A	B	A	S	T		

h ~~dominus~~ Theodoricus SACRE Lovaniensis ad "MELISSAM" aliquid novi divulgandum misit. Est breve poema, quod nobis ipse explicat:

Véspera tális vénit et ólim :
Cóeperat áura fláns resonáre;
Cúr ego rúrsus tália nólim,
Dénuo cúr non vóce vocáre?

Spirát in úrbem véspera hibérna
Átque catérvae mí strepuére
síгна feréntes - ómnia térna - ;
Ínsuper áles saúcia vére.

Véspera tális vénit et ólim :
Cóeperat áura fláns resonáre;
Át ego rúrsus tália nólim :
Nón licet íllud iám revocáre.

F. Srámek, e Bohemo vertit I. Sprincl
Brunae, die 16.III.1984.

tisset
tisset Ioannes Sprincl philologus apud urbem Bohumin Silesiorum natus, studiis feliciter peractis, varia atque praeclara obiit munera, quippe qui primum pueros Latine et Graece erudit, deinde in studiorum universitate Brunensi (Brno) professoris dignitate ornatus, Latine Graeceque docendi provinciam delatam accepit

h *h* *h* quo munere dum fungitur, Plautinis fabulis operam navavit scriptorumque antiquorum interpretationes Bohemoslavicas perscrutatus est. Nunc tandem rude donatus, "Ianuam Latinam" in medicinam inducentem conficiendam curat; quod lexicon, machinae computatoriae ope paratum, pleraque vocabula continebit quae si quis textus medicinales Latinos legere cupiat, oportet bene sciat.

h Huc accedit quod Ioannes ~~destet~~ vir litteratus de poetis neolatinis (quos dicunt) bene meritus est. Etenim aedes librariae quae Odeon inscribuntur, cum Lexicon auctorum Latinorum in vulgus edere vellent, Ioannem Sprincl adiutorem sibi adiungere, qui praecipuos poetas Latinos huiusce saeculi recenseret. Ad hoc unus est poeta Bohemoslavicus (nisi Ianum Novak excipiamus, qui post ver illud Pragense vi abruptum apud Italos et Germanos degere maluit), quem Latine adhuc carminare sciamus. Nam, ut traditum quendam morem perpetuet, poetarum Bohemoslavicorum carmina sescenta Latine interpretatur, quae a Francisco Palata et Venceslao Svoboda Latine verti coepta sunt. Qua in re Sprincl singularem obtinet locum, utpote qui, quo magis hodiernae reddantur hodierna poemata, pangendi rationem "rhythmicometricam" (ut ipse ait) adhibeat, i.e. neque quantitates syllabarum neque verbales accentus negligat, verum efficiat ne accentus ab ictu rhythmico discrepet; insuper homoeoteleuta ("rime") servanda putet. At haec omnia facile est cognoscere e specimine, quod supra ostendimus quodque speciem quandam dactylicorum tetrametrorum exhibet.

h Theodericus Sacré Lovaniensis.

MOX

MELISSA JUNIOR

Folios
dis
le IUNIORES, GAUDETE ! In proximo "MELISSAE" numero, id est post ferias aestivales, invenietis novam partem, cui titulus erit: MELISSA IUNIOR. Praesertim ad discipulos, qui litteris Latinis student. In prima et secunda classe, destinabitur. Ipsi discipuli, si lubet, cooperari poterunt. Multas res narrabimus de deorum mythis, de Veterum generis vivendi, de litteris Latinis... Vobis etiam ludos certaminaque participanda proponemus. Primum certamen, quod statim iam inire potestis, est DELINEATIONIS CERTAMEN ad fabulam imaginibus illustrandam, eodem modo ac in sequenti pagina monstratur. Sequitur textus Phaedri fabulae, cui titulus " CORVUS et VULPES " :

Qui se laudari gaudet verbis subdolis
fere dat poenas turpi paenitentia.
Cum de fenestra corvus raptum caseum
comesse vellet celsa residens arbore,
vulpes ut vidit blande sic coepit loqui:
"o qui tuarum, corue, pennarum est nitor!
Quantum decorem corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret."

At ille stultus dum vult vocem ostendere,
emisit ore caseum, quem celeriter
dolosa vulpes avidis rapuit dentibus .
Tum demum ingemuit corui deceptus stupor.
Hac re probatur, quantum ingenium polleat;
virtute semper praevallet sapientia.







Qui bene delineare sciunt, excogitent et fingant imagines, quibus haec fabula eis videtur melius intelligi posse. Quas imagines ad "MELISSAM" mittant, cum nomine et inscriptione cursuali sua. Illis, qui tales imagines miserint, "MELISSAE" subnotatio erit gratuita in annum. Fabula optimis imaginibus illustrata divulgabitur in proximo numero, cum auctoris praemii nomine.

Vos etiam rogamus ut inscriptiones Latinas exquiratis in omnibus rebus vitae cottidianae, exempli gratia in diariis vel periodicis, in praeconiis, in omni capsarum genere, velut sigarellorum capsulis vel ceteris locis. Inventa vestra ad "MELISSAM" mittatis, cum nomine et inscriptione cursuali. Illis, qui primi aliquid novi miserint, etiam "MELISSAE" subnotatio erit gratuita in annum.

VALETE ET GAUDETE PER FERIAS !

E PHAEDRI FABULIS : URSUS ET CAMMARI.

Delineaverunt Vincentius, Thomas Alanusque Licoppe.
adaptavit Diana Licoppe.

<p>Siquando in silvis copiae urso desunt, ...</p> 	<p>ad scopulosum litus currit et ...</p> 
<p>petram prendens, pilosa crura sensim in vadum demittit ;...</p> 	<p>quorum inter uillos cammari mari simul haeserunt</p> 
<p>maris praedam excutit, in terram abripiens ...</p> 	<p>escaque passim collecta fruitur uaffer.</p> 
<p>ERGO ETIAM STULTIS ACUIT INGENIUM FAMES.</p>	

UBI CONDISCERE
LATINE LOQUI?

IN SEMINARIIS LATINIS, quae circiter ante decem annos moderari coepit Dr P.Caelestis Eichenseer, vir linguae Latinae peritissimus, indefatigabilis Latinitatis Vivae fautor atque praceptor expertus, patiens et hilaris.

-SELESTADII in Alsatia, a die 22^o in diem 28um m.Iulii
-BOITROPII in urbe Rhenaniae Vestfalicae, a die 29^o m.Iulii in diem 11um m.Augusti.

Illi, qui alterutrum participare volent, quam citissime epistulam mittant ad sedem, cuius inscriptio cursualis est haec: VOX LATINA-Universität des Saarlandes-Fachb. 6.3 - D 6600 Saarbrücken 11

-VESTENDAE ad litus Belgicum, a die 18^o in diem 25um m.Augusti in aedibus festivis, cuius inscriptio cursualis est haec: "ZON en ZEE"- Vakantielaan, 1- B 8440 Middelkerke-Westende.

Cuius seminarii impensae sunt 120 marcae Germanicae pro institutione et 5.400 franci Belgici pro hospitio, alimonio usuque ludorum athleticorum. Illi, qui participare volent, epistulam mittant ad :

Melle Diane Licoppe -av. de Iervueren, 76
B 1040 Bruxelles

IN FERIIS LATINIS, quas abhinc tribus annis institueri coepit opus fundatum "LATINITAS", moderante P. Suidberto H. Siedl O.C.D. Qui professor in studiorum universitate Iuvavensi (Salzburg) in Austria voluit commemorare illas "ferias Latinas, quas post mortem Latini Aeneas traditur instituisse... Romae postea usque ad inferioris Imperii aetatem esse celebratas.. . ludi quoque scenici tunc fiebant aliaque praebebantur spectacula ut illae feriae a toto populo una cum magistratibus hilariter iucundeque celebrarentur." (LATINITAS, Mens. Sept. An. MCMLXXXII).

Multas linguas callet P. Suidbertus Siedl, etiam linguam Hebraicam antiquam atque hodiernam. Sua methodo sermonem Latinum cottidianum docet, dum participes ferias agunt in quodam amoeno loco, seu hiemali, seu aestivo tempore. Proximae feriae habebuntur :

Sab. 14 - Dom. 22 m. Iulii 1984

in domo institutionis Catholicae :

kat. dom prosvete "Sodalitas",

A - 9121 Lainach/Inje 119 (Carinthia-Austria).

Sab. 28 m. Iulii - Sab. 4 m. Augusti 1984

in antiquo monasterio Ordinis Cisterciensis non longe ab Emona (Ljubljana) sito

Cistercijanska opatija Sticna 17

YU - 61295 Ivančna Gorica (Slovenija-Jugoslavia)

Sab. 25 m. Augusti - Sab. 1 m. Septembris 1984

in castello "La Castille", prope Olbiam (Hyères)

ad litus Provinciae in Francogallia

F - 83260 LA CRAU Tel. (94) 66.72.91.

Quas ferias in Francogallia praeparant Coletta Ronchaud, quae superiore anno seminario Vestendensi interfuit, et Clemens Desessard, auctor libri, quo lingua Latina docetur methodo "Assimil". De quibus feriis participandis litterae interrogatoriae mittendae sunt ad : Melle Colette Ronchaud - Les Jardins du Roy rue Soldat Ferrari - F 83400 Hyères.

QUAE A  MELISSA PETI POSSUNT

VENEUNT APUD "MELISSAM"

-FOLIA LATINA, quibus index "MELISSA", secundo quoque mense edita:
Subnotationis annuae pretium est ducenti franci Belgici (200f)

-OPUS CINEMATOGRAPHICUM, e comoedia Plautina, cui index "RUDENS",
in videocasetis, generis "V.H.S." vel "Betamax" vel "Video 2000".
Cuiuscumque generis videocaseta cum textus libello venundatur
4.900 francis Belgicis.

Etiam exstat phonocaseta cum libello, cuius pretium est
550 franci Belgici.

Quae res peti possunt a sede MELISSAE,
av. de Iervueren, 76, Iervurenlaan - 1040 Bruxellis - BELGIUM
Pecuniae mittantur ad sedem nummariam, quae est haec :

Argentaria Bruxellensis : B.B.L.

Computus : Licoppe-MELISSA 310-4209741-27